

TRANSYLVANIA.

D. Stephanus Broderith in opusculo excuso Basileæ simul cum Antonij Bonfinij historia Hungarica, his verbis hanc Regionem describit. Transylvania Daciæ olim pars; eius caput Alba Iulia, vel à Iulio Cæsare, vel ab Hiula potius quodam Hunnorum Principe, ita dicta. Oppida complura nobilissima, in quibus Cibinium, Brassouia, Colosium, Bistricia, & plura alia, à Germanis, quos nos Saxones appellamus, condita & habitata. In ea sunt Siculi, genus hominum ferox, & bellicosum: inter quos nullus, neque Nobilis, neque rusticus, omnes eodem iure censentur, Heluetiorum instar. Transylvania ipsa rerum omnium est feracissima, præcipuè auri, argenti, & aliorum metallorum, adhæc Salis montani. Equos generat nobilissimos; vino abundat; sed non æquè excellenti, vt Hungaria & Sclauonia. Transylvaniam duæ cingunt Walachiæ, Transalpina, & Moldauia: illa Danubio; hæc Mari Euxino admota: vtraque cum Transylvania, eam Europæ nunc occupant partem, quæ olim Dacia erat. Sic totus iste tractus Transdanubialis, qui non solum Hungariam vltiorem, sed Transiluaniam quoque cum vtraque Walachia continet; Danubio, montibus Carpathiis, Mari Euxino, & rursus eodem Danubio ex omni parte includitur. Hactenus ille. Sed libet etiam eius descriptionem ex Ant. Bonfinij lib. 1. Decad. 1. rerum Hungaricarum hic adiungere. Trans montes (inquit) Carpathios extrema Daciæ Regio ad Axiacem fluium vsque producta, quam nunc Transylvaniam vocant, pecoris, vini, frumenti, item auri & argenti, feracissima; vbi amnes nonnulli aurea ramenta ferunt, auriq; fragmenta quandoque sesquibralia trahunt, quum montibus sit vndiq; circumsepta in coronæ speciem. In syluis iubati boues; & vri, ac syluestres etiam equi, vtrisque eorum mira pernicitas: at equi iuba sunt ad terram vsque demissa: domesticis per se est mollis alterno crurum explicatu glomeratio. Regionem hanc habitant Schytæ, partim Saxones, & Daci: minores hi, asperiores contrà illi. Olim Romanis Sarmaticisque colonis, ante Gothorum & Vnnorum eruptionem, tota Dacia complebatur. &c. Vide etiam Georgium Rithaymerum; Pium. II. in Europæ descriptione; Iohannem Auentinum, & Mart. Cromerum rerum Polonicarum libro. 12.

Hæc Regio vulgò vocatur Sibenburgum, & Zipserland,
auctore Seb. Munstero.



SEPTENTRION

TRANSILVANIA

CENTRUM

HANC ULTRA VEL TRAN
 SILVANIAM, QUAE ET PANNONIA
 DACIA, ET DACIA RIPENSIS,
 VULGO SIBEMBURGEN DICITUR,
 edidit Viennae A. 1566. Nobiliss. atq. Doctiss.
 Ios. Sabucus
 Pannonius.

H. Litera in hac ta-
 bula nonnullis voca-
 bulis aduincit. Hic sig-
 nificat ea esse Flum-
 garica.

Vallis Harzag vbi olim ciuitas Sarmisgethusa.

MERIDIES

